



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

77. An Clericus ab emptore interpellatus, teneatur eum defendere coram
iudice sæculari? Ex part. 4. tr. 1. res. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

per laicum sub spe & intentione reconueniendi Clericum. Vide citatos Doctores.

3. Notandum est etiam secundò quòd licet Clericus possit à laico reconueniri, tamen ista reconuentionio debet fieri in principio litis, vel statim post contestationem litis, cum enim causa conuentionis & reconuentionis simul tractanda sint, necesse est reconuentionem fieri ante litis contestationem, vel in ipsa contestatione, vel statim post litis contestationem. Ita Bonacina *vbi infra*, cum multis alijs contra Caerolum de Grassis *effect. 1. num. 763.* & alios.

Sup. hoc in
fra in Ref. 83.
& in alijs
cuis nor.

4. Notandum est etiam tertio quòd licet Clericus possit à laico reconueniri, & teneatur stare sententiae, nihilominus secuta sententia non poterit à laico iudice cogi ad solvendum, quia coactio supponit iurisdictionem; iudex autem laicus non habet iurisdictionem in Clericum praecisa occasione reconuentionis, ergo, &c. & ita docet Bonacina in *Bull. Can. disp. 1. q. 16. sect. 1. punct. 4. §. 6. n. 8.* & alij penes ipsum, quibus adde Duardum in *Bull. Can. lib. 2. can. 15. q. 11. n. 66.*

RESOL. LXXIV.

An Clericus sit conueniendus in Curia seculari pro debitis Regalibus? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 66.

Hae Ref. citatur supra in Ref. 2. in §. Sed dicitur ad lin. 11. & in Ref. 17. in §. Ad tertium ad lin. 7. quavis videatur non facere ad rem.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Antonius Ripol de *iurisdic. omni. iudic. cap. 1. n. 17. & 182.* vbi sic ait: Clericus ratione solutionis census qui Domino Regi est solvendus conuenitur in curia seculari, & non obstante quòd firmauerit ius in curia Ecclesiastica, solet declarari non esse locum firmæ iuris in dicta curia Ecclesiastica factæ, & non solum Dominus Rex attrahit ad suum forum personas Ecclesiasticas quæ sibi solunt annuas præstationes & debita, verum etiam & arrendatores iurium Regiorum habent eandem prærogatiuam trahendi personas Ecclesiasticas ad iudicium seculare. Ita ille, & alij.

2. Sed ego inuenio apud sacros Canones simpliciter & absolute Clericos etiam in causis civilibus exemptos esse à iudice seculari in quocumque negotio, & ideo in *cap. nullas Clericus 11. quæst. 1.* dicitur, Omne negotium Clericorum in Episcopi sui, &c. Ergo si Summus Pontifex asserit, quòd omne negotium Clerici agendum est coram Episcopo, agendum erit coram illo etiam negotium Clerici debitoris Regis; & in Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 20.* sic habetur. Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur; sed causa Clerici debitoris Regis pertinet ad forum Ecclesiasticum, cum Clericus in civilibus gaudeat priuilegio fori, vt patet in *cap. nullas Episcopus, ibi, neque præ civili causis*, &c. ergo dicta causa per Tridentinum cognoscenda erit coram locorum ordinariis. Deinde iura declarant causas in quibus Clerici pro civilibus possunt conueniri coram iudice seculari, vt patet ex *cap. transmissa, & cap. verum, de foro compet.* Sed inter dictas causas non inuenitur causa Clerici debitoris Regis; ergo, &c. At his non obstantibus asserunt aliqui bona regalia, quando conceduntur Clericis, sub hac conditione concessa censentur; nam talis conditio non est per se mala, & voluntati potuit apponi, & ideo seruanda erit, ex *cap. verum, de foro compet.* & ex *cap. verum, de condit. appof. & ibi Doctores*, & quia hanc opinionem admittit Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 14. num. 13.* non audeo illam improbare.

RESOL. LXXV.

An Clericus in feudalibus possit conueniri coram iudice laico? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 59.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Suarez de *immun. lib. 4. cap. 14. n. 12.* Duardus in *Bull. Cen. can. 15. q. 11. n. 68.* D. Antoninus *part. 3. tit. 9. cap. 2. n. 3.* Surdus *lib. 3. conf. 396.* Marta de *iurisd. p. 4. ca. 89. num. 5.* Ambrosinus de *immun. cap. 20. num. 56.* Baiardus in *Clarum lib. 4. §. feudum. quæst. 90. num. 8.* & alij, quia in tali casu non subicitur iudicio domini fendi tanquam persona Ecclesiastica, sed tanquam Dux, Marchio, &c.

2. Sed hoc verum esse existimat Paulus Squillante de *privileg. cler. cap. 7. dub. 14. num. 105.* & alij penes ipsum, quando clericus pro feudo coram seculari conuenitur intentando petitionem, & sic quando de proprietate sola agitur; secus autem si iudicio possessorio impetitur, nam tunc causa possessoris est agitata coram Ecclesiastico iudice, licet contrarium asserat Bonacina in *Bull. Cane tom. 3. disp. 1. quæst. 16. sect. 1. punct. 6. n. 6.* & aliter iudicatum fuisse referat Ioannes Baptista del Thoro in *compen. decis. Neapol. ver. cler. fol. 93.*

RESOL. LXXVI.

An Clericus, si conueniatur pro euictione, conueniendus sit coram iudice Ecclesiastico? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 22.

§. 1. **A**D hanc quaestionem sic respondeo cum Tamburino de *iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 19. n. 25.* vbi sic asserit: Si Clericus, qui vendidit agrum, conueniatur pro euictione, debet conueniri coram iudice Ecclesiastico; si verò lis mota fuerit contra laicum, qui rem à Clerico emit, & Clericus resistat defensionem emptoris, tunc non potest per Clericum causa trahi ad tribunal Ecclesiasticum; quia agitur contra laicum, non contra Clericum, qui iudicio suo nomine non assistit, sed nomine & pro defensione emptoris. Ita ille.

Sup. hæc in Ref. 100.

2. Sed presentem quaestionem fufius tractant Ceuallos de *cognitione per viam violentiam part. 2. q. 45.* & alij penes ipsum, quibus addo Molinam de *iust. tom. 2. tract. 2. disp. 380. n. 55.* Io. de Hevia in *Curia Philippica part. 1. §. 5. n. 20.* Martam de *iurisdic. part. 4. cent. 1. cap. 34.* Bobadillam in *polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 169.* Mendez à Castro in *praxi Lusitana lib. 3. c. 5. §. 1.* Caldas Pereira de *empt. c. 31. num. 84.* Girondam de *gabelle part. 4. §. 15.* & alios.

RESOL. LXXVII.

An Clericus ab emptore interpellatus, teneatur eum defendere coram iudice seculari? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 25.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Aufreterius ad *Capellam Tholosanam decis. 360. num. 2.* Covarruias *Sup. hoc in practico. 99. cap. 8. num. 3.* Fachinaeus *lib. 2. controuers. ca. cap. 37.* Gail. *lib. 1. obseru. 37. num. 7.* & alij, quos citat & sequitur Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiam part. 2. quæst. 23. n. 24.* Nam in tali casu Clericus dum ad iudicium accedit vt emptorem defendat, reus necessarius nunquam efficitur, ita vt comparere necesse habeat, cum lis contra ipsum non instituitur, &

De Immunit. Eccles. Resol. LXXVIII. & c. 137

& sententia ferenda sit contra reum principalem, & Clericus assistens liti propter proprium interesse non reus est proprie, licet forum & partes rei sequi teneatur: ergo &c.

2. Verum contrarium sententiam docet Martha de iuris p. 4. centur. 1. cas. 35. n. 21. & ita fuisse sapientissime iudicatum obseruat Maranta in speculo p. 3. dist. 11. n. 78. Capycius dec. 167. n. 7. Grammaticus dec. 21. & alij quos citat Squillante de privileg. Cleric. cap. 7. dubit. 5. num. 80. Dicendum est igitur Ecclesiasticos venditores laudatos in actores & defensores debere remitti ad suum iudicem competentem; Clericus enim non potest consentire in laicum iudicem, ut patet in cap. si diligenti, de foro compet. & reuera in tali casu consentiret, nam citatur à iudice laico ad defensionem causæ; & vocatur, & notificatur ut illam defendat, sub pretextu quoddam tenetur ad iudicem, unde necessitate coactus ad iudicium accedit, quæ omnia sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, & opinio contraria tunc esset admittenda, quando Clericus venditor denunciatus canonice coram iudice Ecclesiastico de eius licentia vellet defendere emptorem coram iudice laico.

RESOL. LXXVIII.

An Clerici ex vi statuti laicalis possint conveniri pro iure congrui, vel laicos convenire?

Et an Clerici ligentur statuto laicorum de causis compromittendis inter affines, ita ut ipsi possint alios compellere, & compelli ad compromittendum?

Et explanatur, quod statuta laicorum profunt Clericis licet eis non aequè noceant; unde Clerici possunt vii statutis, & consuetudinibus laicorum quatenus concernunt eorum favorem, non autem contra. Ex part. 3. tract. 1. Ref. 43.

§. 1. Aliqui utrumque affirmant, vide Giurbani decif. 25. num. 10. alij vero utrumque negant, vide Riccius p. 3. decif. 180. n. 3.

2. Sed mihi placet opinio sapientissimi Surdi lib. 1. conf. 2. num. 14. & aliorum asserentium, ius congrui, seu retractus non habere locum in clericis passivè, sed activè tantum & ideo possunt Clerici agere iure congrui contra laicos, non autem laici contra clericos; & ratio est, quia statuta laicorum prolunt clericis, licet eis non aequè noceant, unde clerici possunt vii statutis, & consuetudinibus laicorum, quatenus concernunt eorum favorem, non autem contra, ut optimè notat Bald. lib. 1. conf. 3. Crauet. lib. 3. conf. 44. n. 6. & Molfes. in consuet. Neapol. tom. 1. p. 2. 97. n. 41. & tom. 2. conf. 23. num. 7. Franchus decif. 285. num. 5. Abbas in cap. constitutus. nu. 4. de in integ. restit. num. 5. Glossa in cap. novit. vers. quicumque, de iudiciis Hòted. lib. 2. conf. 20. num. 2. Flaminus de Rubens lib. 1. conf. 2. n. 26. & 27. & alij.

3. Scio circa presentem quæstionem Carol. de Grassis de effect. cler. eff. num. 388. multos casus distinguere, sed tu absolute nostram sententiam tene. Sicut etiam tenendam esse puto in alia simili quæstione, v. g. an Clerici ligentur statuto laicorum de causis compromittendis inter affines, ita ut ipsi possint alios compellere, & compelli ad compromittendum; nam respondeo clericos nequaquam ligari prædicto statuto passivè, sed tantum activè, & sic non posse cogi ad compromittendum; quamvis possint alios cogere, & ratio est, ut diximus, quia clerici gaudent privilegii laicorum statutariis pro se non autem contra se; & ita hanc sententiam docent plures DD. quos citat, & sequitur dictus de Grassis loco cit. num. 424.

Tom. I X.

quidquid in contrarium asserat Riccius in collect. decif. p. 1. collect. 171. Capycius dec. 66. n. 1. & 5. Borellus de compromitt. §. 1. gloss. 3. num. 224. Thorus in compend. dec. Neap. vers. Clericus, & alij.

RESOL. LXXIX.

An index laicus possit iudicare causam Clericorum, qui heredes sunt alicuius secularis & causa ante eius mortem coram se incepta?

Et an instantia capta contra clericum coram iudice Ecclesiastico debeat continuari contra laicum heredem Clerici coram eodem iudice: Ex part. 1. tract. 2. Resol. 25. aliàs 24.

§. 1. Affirmativè communiter respondent, & tenent Doctores, quos citat, & sequitur D. Carol. de Grassis de effect. cler. eff. n. 282. quibus ego addo Ioan. de Hevia in Curia Philipp. p. 1. §. 5. num. 29. Castillo p. 1. dec. 2. Coriolanus in Bull. Cæn. excomm. 16. fol. mibi 945. Megalam in 3. p. lib. 3. c. 10. n. 59. Grassius in dec. p. 1. lib. 4. c. 18. n. 128. Rodriquez in summ. nouissima, tom. 1. c. 216. n. 15. Ceuallos tr. de cognit. per viam viol. p. 2. q. 40. n. 9. qui citat plures Iuriconsultos, & Reginald. tom. 1. lib. 9. c. 23. n. 352. vbi sic ait: [Clericus, ratione hereditatis, quam accipit à laico, subicitur foro seculari; & ideo omnes lites, quæ inceptæ fuerint vivente laico defuncto, ipse Clericus hæres coram eodem seculari Iudice prosequi debet. Aliæ autem lites circa bona defuncti, vel actiones, veniunt debent ad Iudicem Ecclesiasticum.] Ita ille.

2. Sed non defunt Doctores, qui contrariam sententiam docent, ut Bonac. de leg. disp. 10. q. 2. p. 1. §. 1. n. 25. & Ambrosinus de immunit. Eccl. c. 20. n. 45. qui asserunt; quod Clericus hæres laici non tenetur coram Iudice seculari prosequi litem iam ceptam contra laicum, cui successit; sed denuò erit super eadem re, vel actione, coram Ecclesiastico conveniendus. Et ratio est: quia militat eadem ratio emptionis, vel si lis sit incepta, vel non. Et sequeretur ex contraria sententia magnum inconueniens, nempe, quod sequuta sententia condemnatoria contra Clericum hæredem laici, ista sententia feriret de vento, postquam exequi non posset, nisi per Iudicem Ecclesiasticum, qui, cum non subiaceat eidem Principi, cui subest Iudex laicus, non teneretur dictam sententiam exequi. Vide etiam Marc. Antonium lib. 1. ref. 49. n. 2. vbi probat ex multis, quod instantia inchoata coram Iudice seculari contra laicum defunctum, cui successit hæres Clericus, non continuatur in Clericum, qui debet propterea conveniri coram Ecclesiastico: & hæc sententia mihi placet. Notandum est etiam, quod prima sententia limitatur à DD. citatis multipliciter, ut patet ex Grassio vbi sup. n. 290. & seq. & secundum illam instantia cepta contra Clericum coram Iudice Ecclesiastico, debet continuari contra laicum heredem Clerici eotam, eodem Iudice. Sic docet Riccius p. 4. dec. 118. per totam.

RESOL. LXXX.

An Clericus succedens in bonis laici, sit propter illa bona vocandus in iudicium coram iudice laico, ante quem iam causa incepta erat?

Et an Clericus, qui coram iudice laico recepit depositum, possit à iudice laico ad illud reddendum cogi?

Et an Clericus citatus coram laico, si putans sua interesse compareat, teneatur stare sententia à iudice laico lata?

M 3

Et

Sup. hoc in Resol. 137.

Sup. hoc in Resol. 138. & in fine. & in Resol. 139. §. Sed in princ. & in tr. 2. §. 2. & in Resol. 140. & in Resol. 141.

ia